



**CAROLVS II.**  
**DEI GRATIA REX,**  
**ET D. MARIANNA REGINA**  
**MATER, TVTRIX, ET GVBERNATRIX.**

**D**ON FRANCISCVS TVTAVILLA, DVX S. GERMA-  
 ni, Dominus status campanæ de Albala, & Villa de Saucedilla,  
 Comendator Piñæ Osende ordinis S. Iacobi, ex supremis Consilijs belli  
 Italiae, & Collateralis Regni Neapolis, in presenti Regno Sardiniae Vi-  
 ce Rex, & Capitaneus Generalis, ac procedens in presenti causa uti dele-  
 gatus sue Catholice Maiestatis, cū voto Nobilis, & Mag. D. Ioannis  
 de Herrera Militis Hispani, & in Regno Neapolitano Regij Consiliarij  
 Consilij Sanctæ Clare.

**T**ENORE præsentium, patefacimus omnibus, quod, permanen-  
 te, in præterito anno 1668. Illustre D. Augustino de Castelu  
 Marchione Laconi, in Hispania, D. Silvester Aymerich No-  
 bilis huius Ciuitatis Calaris, captus Domnæ Franciscæ çatrillas, de Cas-  
 telui Marchionissæ Laconi, & Sietefuentes vxoris dicti Illustris Mar-  
 chionis amore, palatium illius frequentè introiuit; & cum de mense  
 Maij dicti Anni 1668. reuersus fuisset dictus Illustris Marchio Laconi  
 ad hanc Ciuitatem, dicti Don Silvester, & Domna Francisca colloqui-  
 um in simul habuerunt eū occidi facere, vt post modum, inter eos, ma-  
 trimonium sequutum fuisset: & volentes dictam deliberationem exequi,  
 tractatum habuerunt cum aliquibus hominibus dicti Don Silvestri in-  
 trinsecis, & dùm nocte vigesima mēsis Iunij dicti Anni 1668. hora pri-  
 ma post medietatem illius, dictus Illustris Marchio, associatus duobus  
 eius famulis, ab eius domo exierat, & peruentus, propè Palatia Don-

Ab

A

Ioan-

2  
Ioannis Claueria, & Spectabilis Regentis D. Ioseph Niño, à dictis D. Siluestre, & hominibus ei intrinsicis (in dicto loco insidiatis permanentibus) multi scloporum ictus contra eos emissi fuerunt, ex quibus vulnerati remanserunt dictus Illustris Marchio, Laconi, & Antonius Marcelli, vnus ex dictis famulis, & cum humi cecidissent, alijs vulneribus, cum pugionibus eos effecerunt, causa quorum statim dictus Illustris Marchio occisus remansit, & Antonius Marcelli post triduum ab hac vita discessit: & vt delictum prædictum occultum respectu ipsorum remansisset, publicare fecerunt patratum fuisse à Don Antonio de Molina fisci aduocato in Regia Audientia huius Regni, Don Gaspare Niño, Don Antonio de Pedraza, Don Ioanne de Claueria, Ioseph Bueno, & Ignatio famulo dicti Don Antonij de Molina, de ordine Illustris Marchionissæ Camarassæ, cū scientia Illustris Marchionis Camarassæ eius viri tunc in hoc Regno Proregis, ex causa oppositionis factæ per dictum Illust. Marchionem Laconi, animosas, & impracticabiles cōditiones proponentem, pro concessione donatiui propositi per dictū Ill. Proregē nomine suæ Catholicæ Maiestatis, pro quibus coactus fuit dictus Illust. Prorex parlamentū generale vulgo Cortes dissoluere capi faciendo dicta D. Francisca çatrillas in Regia Audientia, prædicta informationē, & produci multos testes falsos, & per vim extortos, vt constaret homicidium in personā dicti eius viri cōmissum fuisse à dictis D. Antonio de Molina, & prænominatis alijs de ordine, & scientia dictorum Illust. Marchionissæ, & Marchionis Camarassæ: & postea canicularibus diebus, & intēperie non obstantibus, cum dicto D. Siluestre, Cularim se contulerunt, vbi eius vassallis, & famulis dictū D. Siluestre eius esse coniugē declarauit, vt ex informatione super dicto homicidio capta satis constat, & cum fuisset per Magnificum V. I. Doctorem D. Stephanum Aleman Fisci patronum præsentis causæ contra dictos Domnam Franciscam çatrillas de Castelui Marchionissam Laconi, & Siete fuentes, & D. Siluestrem Aymerich instatum expediri citationes ad comparendum corā Nobis, & condemnari ad pœnas in similibus delictis à Iure statutas, fuerunt virtute dictæ instantiæ expeditæ citationes prædictæ, & notificatæ sub diebus septima, & decima quarta mensis Iunij proximè præteriti, & quia in termino eis præfixo comparere minimè curauerunt, contra eos incusatae fuerunt debita contumaciæ.

Vnde

*Vnde visis videndis, & consideratis considerandis.*

NOS qui supra Don Franciscus Tutavilla, Dux Sancti Germani, Prorex, & Capitaneus Generalis huius Regni, ac Delegatus per suam Catholicam Maiestatem in praesenti causa, cum voto dicti Nobilis, & Magnifici Regij Consiliarij Don Ioannis de Herrera Consultoris, dicimus, decernimus, pronunciamus, & declaramus praenominatos Domnam Franciscam çatrillas de Castelui Marchionissam Laconi, & Sierefuentes, & Don Siluestrem Aymerich pro causa supra dicti homicidij comissi in personam dicti Illust. Marchionis Laconi D. Augustini de Castelui esse reos mortis; & pro inde foriudicandos, pro vt, per praesentem nostram definitiuam sententiam, ipsos reos mortis, & foriudicatos esse volumus, & mandamus; ita quod deinceps super homicidio praedicto nulla eis remaneat potestas seipos defendendi, sed pro mortuis habeantur, & reputentur; & ab omnibus impunè offendi, & occidi possint, eorumque occisores praemia consequantur, declarando dictos Domnam Franciscam çatrillas de Castelui, & D. Siluestrem Aymerich virtute contumaciae supra dictae conuictos, & confessos de delicto praedicto, & praefatos Illust. Marchionissam Camarassæ, D. Antonium de Molina, D. Gasparem Niño, D. Antonium Pedraza, Don Ioannem de Claueria, Iosephum Bueno, & Ignatium esse de eo innocentes, ac pro inde delendum eis titulum Inquisitionis praedictae; Talitèr per hanc nostram definitiuam sententiam in scriptis, proferrimus, decernimus, declaramus, atque definitiuè sententiamus.

El Duque de San German.

Vt. Don Ioannes de Herrera,  
Regius Consiliarius, & Consultor.

*Gregorius Ferrarius Secret.*

Lecta, lata, & publicata fuit retro scripta sententia pronunciata, contra retro scriptos D. Franciscam çatrillas de Castelui, Marchionissã de Sietefuẽzes, & D. Siluestrem Aymerichi in Sala Regij Palatij huius Ciuitatis Calaris, coram Excell. Domino Prorege, Duce Sancti Germani, cum assistentia Nob. & Magnifici Regij Consiliarij D. Ioannis de Herrera consultoris, & Magnifici Doctoris Don Stephani Aleman Fisci patroni, pro Tribunali sedentibus, per me subscriptum aëtorum Magistrum in capite, per suã Catholicam Maiestatem, in magna Curia Vicarie, in Criminalibus Regni Neapolis, & Secretarium presentis Cause, presentibus pro testibus, Magnificis Doctore Georgio Canassa, Don Valerio de Amato, Capitaneo Petro Antonio Peis, Ioanne Matheo Ascanio, Don Francisco Montanacio, & alijs in numero magno. Die sexta Iulij 1669. Calari.

Gregorius Ferrarius Secret.

El Duque de San German.

V. Don Ioannes de Herrera,  
Regius Consiliaris, & Consultor.

Gregorius Ferrarius Secret.